

Traducción de un texto en prosa con diccionario, con comentario y/o cuestiones de carácter morfosintáctico-estilístico y/o histórico-cultural, según las características del/de la autor/a, y/o cuestiones relacionadas con el uso didáctico y/o la actualidad del mundo clásico.

TEXTO A

Relatum dein de moderanda Papia Poppaea, quam senior Augustus post Iulias rogationes incitandis caelibum poenis et augendo aerario sanxerat. nec ideo coniugia et educationes liberum frequentabantur praevalida orbitate: ceterum multitudo periclitantium gliscebat, cum omnis domus delatorum interpretationibus subverteretur, utque antehac flagitiis ita tunc legibus laborabatur. ea res admonet ut de principiis iuris et quibus modis ad hanc multitudinem infinitam ac varietatem legum perventum sit altius disseram.

Vetustissimi mortalium, nulla adhuc mala libidine, sine probro, scelere eoque sine poena aut coercionibus agebant. neque praemiis opus erat cum honesta suoapte ingenio peterentur; et ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur. at postquam exui aequalitas et pro modestia ac pudore ambitio et vis incedebat, provenere dominationes multosque apud populos aeternum mansere. quidam statim aut postquam regum pertaesum leges maluerunt. hae primo rudibus hominum animis simplices erant; maximeque fama celebravit Cretensium, quas Minos, Spartanorum, quas Lycurgus, ac mox Atheniensibus quaesitores iam et plures Solo perscripsit. nobis Romulus ut libitum imperitaverat: dein Numa religionibus et divino iure populum devinxit, repertaque quaedam a Tullo et Anco. sed praecipuus Servius Tullius sanctorum legum fuit quis etiam reges obtemperarent.

Pulso Tarquinio adversum patrum factiones multa populus paravit tuendae libertatis et firmandae concordiae, creatique decemviri et accitis quae usquam egregia compositae duodecim tabulae, finis aequi iuris. nam secutae leges etsi aliquando in maleficos ex delicto, saepius tamen dissensione ordinum et apiscendi inlicitos honores aut pellendi claros viros aliaque ob prava per vim latae sunt. hinc Gracchi et Saturnini turbatores plebis nec minor largitor nomine senatus Drusus; corrupti spe aut inlusi per intercessionem socii. ac ne bello quidem Italico, mox civili omissum quin multa et diversa sciscerentur, donec L. Sulla dictator abolitis vel conversis prioribus, cum plura addidisset, otium eius rei haud in longum paravit.



Traducción de un texto en prosa con diccionario, con comentario y/o cuestiones de carácter morfosintáctico-estilístico y/o histórico-cultural, según las características del/de la autor/a, y/o cuestiones relacionadas con el uso didáctico y/o la actualidad del mundo clásico.

TEXTO B

Nihil enim umquam audivi quod mihi de iure subtilius dici videretur, nihil memoria maiore de exemplis, nihil peritius de foederibus, nihil inlustriore auctoritate de bellis, nihil de re publica gravius, nihil de ipso modestius, nihil de causa et crimine ornatus: ut mihi iam verum videatur illud esse quod non nulli litteris ac studiis doctrinae dediti quasi quiddam incredibile dicere putabantur, ei qui omnis animo virtutes penitus comprehendisset omnia quae faceret <recte procedere>. Quae enim in L. Crasso potuit, homine nato ad dicendi singularem quandam facultatem, si hanc causam ageret, maior esse ubertas, varietas, copia quam fuit in eo qui tantum potuit impertire huic studio temporis quantum ipse a pueritia usque ad hanc aetatem a continuis bellis et victoriis conquievit? Quo mihi difficilior est hic extremus perorandi locus. Etenim ei succedo orationi quae non praetervecta sit auris vestras, sed in animis omnium penitus insederit, ut plus voluptatis ex recordatione illius orationis quam non modo ex mea, sed ex cuiusquam oratione capere possitis. Sed mos est gerundus non modo Cornelio, cuius ego voluntati in eius periculis nullo modo deesse possum, sed etiam Cn. Pompeio, qui sui facti, sui iudici, sui benefici voluit me esse, ut apud eosdem vos, iudices, nuper in alia causa fuerim, et praedivatorem et actorem.

Ac mihi quidem hoc dignum re publica videtur, hoc deberi huius excellentis viri praestantissimae gloriae, hoc proprium esse vestri officii, hoc satis esse causae ut, quod fecisse Cn. Pompeium constet, id omnes ei licuisse concedant. Nam verius nihil est quam quod hesterno die dixit ipse, ita L. Cornelium de fortunis omnibus dimicare ut nullius in delicti crimen vocaretur. Non enim furatus esse civitatem, non genus suum ementitus, non in aliquo impudenti mendacio delituisse, non inrepsisse in censum dicitur: unum obicitur, natum esse Gadibus, quod negat nemo.



Traducción de un texto en prosa sin diccionario

TEXTO A

Hannibal Sagunto capto Carthaginem novam in hiberna concesserat, ibique auditis quae Romae quaeque Carthagine acta decretaque forent, seque non ducem solum sed etiam causam esse belli, partitis divenditisque reliquiis praedae nihil ultra differendum ratus, Hispani generis milites convocat. “Credo ego vos” inquit “socii, et ipsos cernere pacatis omnibus Hispaniae populis aut finiendam nobis militiam exercitusque dimittendos esse aut in alias terras transferendum bellum; ita enim hae gentes non pacis solum sed etiam victoriae bonis floreant, si ex aliis gentibus praedam et gloriam quaeremus. Itaque cum longinqua a domo instet militia incertumque sit quando domos vestras et quae cuique ibi cara sunt visuri sitis, si quis vestrum suos invisere volt, commeatum do. Primo vere edico adsitis, ut dis bene iuvantibus bellum ingentis gloriae praedaeque futurum incipiamus”. Omnibus fere visendi domos oblata ultro potestas grata erat et iam desiderantibus suos et longius in futurum providentibus desiderium. Per totum tempus hiemis quies inter labores aut iam exhaustos aut mox exhauriendos renovavit corpora animosque ad omnia de integro patienda. Vere primo ad edictum convenere.

Hannibal, cum recensisset omnium gentium auxilia, Gades profectus Herculi vota exsolvit novisque se obligat votis, si cetera prospera evenissent. Inde partiens curas simul in inferendum atque arcendum bellum, ne, dum ipse terrestri per Hispaniam Galliasque itinere Italiam peteret, nuda aperta que Romanis Africa ab Sicilia esset, valido praesidio firmare eam statuit. Pro eo supplementum ipse ex Africa maxime iaculatorum, levium armis, petit, ut Afri in Hispania, Hispani in Africa, melior procul ab domo futurus uterque miles, velut mutuis pigneribus obligati stipendia facerent. Tredecim milia octingentos quinquaginta pedites caetratos misit in Africam et funditores Baliares octingentos septuaginta, equites mixtos ex multis gentibus mille ducentos. Has copias partim Carthagini praesidio esse, partim distribui per Africam iubet.



Traducción de un texto en prosa sin diccionario

TEXTO B

At memoria minuitur. Credo, nisi eam exerceas, aut etiam si sis natura tardior. Themistocles omnium civium perceperat nomina; num igitur censetis eum, cum aetate processisset, qui Aristides esset, Lysimachum salutare solitum? Equidem non modo eos novi, qui sunt, sed eorum patres etiam et avos; nec sepulcra legens vereor, quod aiunt, ne memoriam perdam; his enim ipsis legendis in memoriam redeo mortuorum. Nec vero quemquam senem audivi oblitum, quo loco thesaurum obruisset; omnia, quae curant, meminerunt: vadimonia constituta, quis sibi, cui ipsi debeant.

Quid? iuris consulti, quid? pontifices, quid? augures, quid? philosophi senes, quam multa meminerunt! Manent ingenia senibus, modo permaneat studium et industria, neque ea solum in claris et honoratis viris, sed in vita etiam privata et quieta. Sophocles ad summam senectutem tragoedias fecit; quod propter studium cum rem negligere familiarem videretur, a filiis in iudicium vocatus est, ut, quem ad modum nostro more male rem gerentibus patribus bonis interdici solet, sic illum quasi desipientem a re familiari removerent iudices. Tum senex dicitur eam fabulam, quam in manibus habebat et proxime scripserat, Oedipum Coloneum, recitasse iudicibus quaesisseque num illud carmen desipientis videretur. Quo recitato sententiis iudicum est liberatus.

Num igitur hunc, num Homerum, Hesiodum, Simonidem, Stesichorum, num, quos ante dixi, Isocratem, Gorgiam, num philosophorum principes, Pythagoram, Democritum, num Platonem, num Xenocraten, num postea Zenonem, Cleanthem, aut eum, quem vos etiam vidistis Romae, Diogenem Stoicum, coegit in suis studiis obmutescere senectus? An in omnibus his studiorum agitatio vitae aequalis fuit?

Age, ut ista divina studia omittamus, possum nominare ex agro Sabino rusticos Romanos, vicinos et familiares meos, quibus absentibus numquam fere ulla in agro maiora opera fiunt, non serendis, non percipiendis, non condendis fructibus. Quamquam in illis minus hoc mirum est: nemo enim est tam senex qui se annum non putet posse vivere:



Traducción de un texto en verso con diccionario, con comentario y/o cuestiones de carácter fonético-morfológico y métrico-estilístico y/o cuestiones relacionadas con el uso didáctico y/o la actualidad del mundo clásico.

TEXTO A

Forsitan hunc generis fato reddamus amorem,
et Venus ex tota gente tributa petat.
Iuppiter Europen—prima est ea gentis origo—
dilexit, tauro dissimulante deum.
Pasiphae mater, decepto subdita tauro,
enixa est utero crimen onusque suo.
perfidus Aegides, ducentia fila secutus,
curva meae fugit tecta sororis ope.
en, ego nunc, ne forte parum Minoia credar,
in socias leges ultima gentis eo!
hoc quoque fatale est: placuit domus una duabus;
me tua forma capit, capta parente soror.
Thesides Theseusque duas rapuere sorores:
ponite de nostra bina tropaea domo!
Tempore quo nobis inita est Cerealis Eleusin,
(Gnosia me vellem detinuisset humus!)
tunc mihi praecipue (nec non tamen ante placebas)
acer in extremis ossibus haesit amor.
candida vestis erat, praecincti flore capilli,
flava verecundus tinxerat ora rubor,
quemque vocant aliae vultum rigidumque trucemque,
pro rigido Phaedra iudice fortis erat.
sint procul a nobis iuvenes ut femina compti!
fine coli modico forma virilis amat.
te tuus iste rigor positique sine arte capilli
et levis egregio pulvis in ore decet.
sive ferocis equi luctantia colla recurvas,
exiguo flexos miror in orbe pedes;
seu lentum valido torques hastile lacerto,
ora ferox in se versa lacertus habet,
sive tenes lato venabula cornea ferro.
denique nostra iuvat lumina, quidquid agis.



TEXTO B

Dum dubitat, tremebunda videt pulsare cruentum
membra solum, retroque pedem tulit, oraque buxo
pallidiora gerens exhorruit aequoris instar,
quod tremit, exigua cum summum stringitur aura.
Sed postquam remorata suos cognovit amores,
percutit indignos claro plangore lacertos
et laniata comas amplexaque corpus amatum
vulnera supplevit lacrimis fletumque cruori
miscuit et gelidis in vultibus oscula figens
“Pyrame”, clamavit, “quis te mihi casus ademit?
Pyrame, responde! Tua te carissima Thisbe
nominat: exaudi vultusque attolle iacentes!”.
Ad nomen Thisbes oculos a morte gravatos
Pyramus erexit visaque recondidit illa.
Quae postquam vestemque suam cognovit et ense
vidit ebur vacuum, “tua te manus” inquit “amorque
perdidit, infelix! Est et mihi fortis in unum
hoc manus, est et amor: dabit hic in vulnera vires.
Persequar extinctum letique miserrima dicar
causa comesque tui, quique a me morte revelli
heu sola poteris, poteris nec morte revelli!
Hoc tamen amborum verbis estote rogati,
o multum miseri meus illiusque parentes,
ut, quos certus amor, quos hora novissima iunxit,
componi tumulo non inideatis eodem.
At tu, quae ramis arbor miserabile corpus
nunc tegis unius, mox es tectura duorum,
signa tene caedis pullosque et luctibus aptos
semper habe fetus, gemini monimenta cruoris”.
Dixit et aptato pectus mucrone sub imum
incubuit ferro, quod adhuc a caede tepebat.
Vota tamen tetigere deos, tetigere parentes,
nam color in pomo est, ubi permaturuit, ater,
quodque rogis superest, una requiescit in urna”.

CRITERIOS DE CALIFICACIÓN. ESPECIALIDAD LATÍN.

PARTE A: EJERCICIOS PRÁCTICOS.

PROSA : TEXTO A: TÁCITO. ANNALES III (25-27)

TEXTO B: CICERÓN. DISCURSO EN DEFENSA DE L. CORNELIO BALBO (2-5)

VERSO: TEXTO A : OVIDIO. HEROIDAS. FEDRA A HIPÓLITO (53-84)

TEXTO B : OVIDIO . METAMORFOSIS. PÍRAMO Y TISBE (133-166)

TRADUCCIÓN CON DICCIONARIO	PUNTUACIÓN
Traducción donde se aprecie la comprensión del texto en su globalidad.	20%
Correspondencia de las estructuras sintácticas o adopción apropiada de giros sustitutivos.	30%
Adecuación al sentido original del texto respetando los rasgos de estilo de los autores latinos.	30%
Comentario morfosintáctico-estilístico y/o histórico-cultural, según las características del autor. Comentario fonético-morfológico y métrico-estilístico. Ambos pueden tratar cuestiones relacionadas con el uso didáctico y/o la actualidad del mundo clásico.	20%

- Penalizarán errores morfosintácticos (confundir personas, tiempos, modos verbales, casos, relaciones de coordinación o subordinación ...), hasta 4 puntos.
- No traducir el texto íntegramente.

CRITERIOS DE CALIFICACIÓN. ESPECIALIDAD LATÍN.

PARTE A: EJERCICIOS PRÁCTICOS.

TEXTO A: TITO LIVIO. AB URBE CONDITA XXI (21)

TEXTO B: CICERÓN. DE SENECTUTE VII (21-24)

TRADUCCIÓN SIN DICCIONARIO	PUNTUACIÓN
Traducción donde se aprecie la comprensión del texto en su globalidad.	20%
Correspondencia de las estructuras sintácticas o adopción apropiada de giros sustitutivos.	40%
Adecuación al sentido original del texto respetando los rasgos de estilo de los autores latinos.	40%

- Penalizarán errores morfosintácticos (confundir personas, tiempos, modos verbales, casos, relaciones de coordinación o subordinación ...), hasta 4 puntos.
- No traducir el texto íntegramente.

CRITERIOS DE CALIFICACIÓN. ESPECIALIDAD LATÍN. PARTE B: TEMA

CONOCIMIENTO CIENTÍFICO PROFUNDO Y ACTUALIZADO DEL TEMA

80 %

- Domina el contenido epistemológico de la especialidad
- Utiliza los conceptos con precisión, rigor y de forma actualizada
- Cita, emplea y contrasta con rigor científico, distinta bibliografía actualizada.
- Muestra rigor científico con datos obtenidos de fuentes griegas y latinas originales.
- Originalidad y creación personal del mismo

ESTRUCTURA

15 %

- Orden lógico: clara presentación de ideas (pudiendo incluir índice)
- Interrelación equilibrada de las partes según enunciado y adecuada al tema. Introducción desarrollo conclusión tema y/o didáctica
- Adecuación en la profundidad del desarrollo del tema
- Coherencia: equilibrio entre los epígrafes e inclusión en el todo del tema (macroestructural)
- Utiliza ejemplos aclaratorios y/o aplicaciones prácticas

EXPOSICIÓN DEL TEMA

5 %

- La lectura es fluida y ágil como resultado de una expresión escrita correcta y el lenguaje no verbal ayuda en la exposición
- No se aprecian contradicciones en la expresión que evidencien una lectura no literal del tema
- Utiliza correctamente la oratoria y la dicción

PENALIZARÁN ERRORES CONCEPTUALES GRAVES.